

non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. »

(3. Pro Episcopis igitur generaliter loquendo fuit a Trident. cit. sess. 24, cap. 13. Congrua taxata in scutis mille de moneta illarum partium, in quibus situs est Episcopatus, Rota p. 2, recent. dec. 352, n. 5, dec. 449, n. 6, cum sequent. et dec. 762, n. 1, cum sequent., et p. 18, t. 1, dec. 389, n. 18, cum seq. (4. In regno tamen Neapolitano fuit taxata Episcopo in scutis 700. Rota part. 18, tom. 1, dec. 352, n. 2. (5. Verum certa regula in hac materia præscribi nequit, sed totum remittitur prudenti Judicis arbitrio in Congrua taxanda; Rota par. 18, tom. 1, dec. 351, n. 3, cum sequent. et dec. 389, n. 21. (6. In quo arbitrio habenda est ratio de dignitate, et qualitate personæ; Rota part. 18, tom. 1, dec. 351, n. 3, cum sequent. (7. De Officialibus, et Familia; Rota part. 18, tom. 1, dec. 23, num. 10, cum sequent. (8. De oneribus Seminarii, manutationis Ecclesiæ, Palatii, itineris ad Sacra Limina eleemosynarum, sustentationis litium circa immunitatem Ecclesiæ, et de similibus; Rota part. 18, t. 1, dec. 23, n. 11, cum seq. et dec. 389, num. 19, cum seq. (9. Et demum de consuetudine regionis; Rota p. 18, tom. 1, dec. 351, n. 4.

(10. Episcopo petenti sibi concedentia alimenta denegari non potest Congrua, quæ loco alimentorum succedit, ex qua ipse ali, ejus Familia nutrir, et Episcopatus Majestas præservari debet; c. de Monachis 12. c. Cum secundum Apostolum 16. c. Extirpanda 30. de Præbend. et cap. 1. eod. tit. in 6. Rota part. 18, tom. 1, dec. 23, num. 1, et dec. 389, n. 1, et seq. (11. Etiam si habeat aliunde, adhuc debet consequi Congruam ex fructibus Ecclesiæ, quia Congrua datur in remunerationem ponderis diei, et æstus, quod suffert Episcopus, aut Rector in regimine animarum: unde non cogitur proprio stipendio militare, ex prima ad Corinth. cap. 9, cum dignus sit operarius mercede sua; cap. Quicumque 66 et cap. Ecclesiasticis 67, caus. 12, quæst. 2. Rota part. 18, tom. 1, dec. 23, num. 5, cum sequent. et dec. 351, n. 7, cum sequent. (12. Etiam si Episcopus acceptaverit Episcopatum nimis tenuem, aut nimis gravatum pensione; quia non inde repelli debet a consecutione Congruæ, quæ est privilegium Ordinis elargitum a jure ne Episcopi, aut Rectores in opprobrium dignitatis mendicent, aut curam commissi sibi gregis deserant, ut declarando, dixit Rota par. 1, dec. 420, n. 4, et par. 2, recentior. dec. 459, n. 5, et part. 18, t. 1, dec. 23, n. 13. (13. Etiam si Episcopus consenserit, et se obligaverit ad pensionem. Non enim talis præstitus consensus, sive tacite sive expresse est sufficiens ad impediendam hanc Congruæ assignationem, ex quo non potest oriri ipsi Episcopo aliquod præjudicium ab hujusmodi acceptatione, et consensu, quia non habet privilegium ad sui favorem tantum concessum, sed illud toti Ordini, et dignitati Clericali fuit imperitum, et ideo ne propter mendicitatem, et egestatem a

suis Diocesanis contemnatur, quorum veneratio ipsi pura, et incorrupta præservari debet, et ne impediatur animarum curæ vigilare, nec tacitus, nec expressus consensus ad hunc effectum in aliqua consideratione haberi debet; Rota part. 1, recent. dec. 420, n. 5, part. 18, tom. 1, dec. 23, n. 14, dec. 351, n. 10, cum seq. et dec. 389, n. 25. Vide etiam Josephum Mariam Maraviglia Leg. 194. Prudentiæ Episcop. ubi mordicus hanc opinionem defendit.

(14. Et talis Congrua debetur ipsi Episcopo ex fructibus suæ Ecclesiæ; Rota part. 18, tom. 1, dec. 351, n. 1. (15. Et regulariter illam præstare debet, qui Beneficii fructus recipit; cap. De Monachis, c. Avaritiæ, cap. Extirpanda, et cap. In Lateranensi de Præbend. c. sicut de supplend. neglig. Prælator. Rota part. 3, recent. dec. 745, num. 1. (16. Et sic Reservatarius Beneficii tenetur Episcopo Congruam præstare actione reali, et personali; Rota d. dec. 745, n. 2. (17. Reali, quia fructus pro Congrua semper hypothecati remanent in quemcumque trans-eant; Rota in una Pampilonen. Jurispatronatus de Gonzaga 30. Januar. 1609. coram Reverendiss. Bononien. et dict. dec. 745, n. 2. (18. Personali vero, cum etiam conditione ex lege de fructibus perceptis Congrua debeatur; cujus conditionis vigore personalis actio contra quemcumque possessorem competit; §. Sic itaque, discretis autem, vers. appellamus, de institut. action. (19. Et præsertim contra possidentem fructus, qui alimentorum loco, qualis est Congrua, succedunt; l. Lucius ff. de alim. et cib. leg. Rota d. dec. 745, n. 2, et 3. (20. Reservatarius enim dando schedulam solutionis Congruæ Episcopo, censetur cum Episcopo contraxisse, et se ad solvendam illam annuatim obligasse; dict. leg. Lucius, ff. de alim. et cib. leg. Rota in una Toletana, Pensionis 5. Decemb. 1703. recent. dec. 745, n. 4. (21. Sic etiam Episcopis gravatis pensionibus assignari solent pro Congrua mille ducati annui, de quibus securi jam redditi per schedulam mensariam, vel alio modo, coguntur relinquere pensionariis administrationem bonorum mensæ, seu alterius Beneficii; Sac. Congr. Episc. et Regul. in Alerien. 25, Januar. 1638. et 29. Mart. et 24. Maii ejusdem anni, apud Pignatell. tom. 4. consult. 727, n. 5.

(22. Episcopus in Congrua non tenetur imputare redditus sui patrimonii, si reservationi pensionis non consensit, minusque de suo solvere se obligavit. Licet enim Episcopus pingue patrimonium possideat, non tamen per hoc Congruæ Beneficio venit spoliandus, quæ nunquam denegatur, cum illa soleat assignari in recompensationem laborum, quibus subjacent illi, qui indefessis vigiliis curæ animarum præsent, qui enim servit Altari, de Altari vivere debet; cap. Cum secundum Apostolum 16. de Præbend. et cap. Clerici omnes 10. caus. 1. quæst. 2. Rota. par. 18, tom. 1, dec. 23, num. 4, et dec. 389, num. 3, cum sequent. (23. Secus vero si Episcopus obligavit, et hypothecavit sua bona patrimonialia pro pensione; Rota

in una S. Severini Congruæ 22. Jun. 1665. §. Onera coram D. Ottalora Præsede Granaten. et d. part. 18, tom. 1, dec. 389, num. 2. (24. Primo loco, et ante omnia alia onera Episcopatus est solvenda Congrua Episcopo; Rota par. 1, recent. dec. 763, num. 1, cum seq. et part. 18, tom. 1, dec. 351, num. 6. (25. Maxime si in impositione onerum fuit addita clausula, demptis pro Episcopo scutis mille; d. dec. 763, num. 1, in fine. (26. Ita ut consentientes huic decreto reservationis ad favorem Episcopi, teneantur illud observare; d. dec. 763, num. 2. (27. Et sic Congrua est deducenda ante pensionem, ubi ea est solvenda; Rota par. 2, recent. dec. 352, n. 5. (28. Cum Episcopi, deductis prius impensis culturæ pro credito Congruæ, uti potiores præferendi sint Pensionariis, ubi uti Creditores fructuum ex illis solum satisfieri debent; Rota in d. S. Severini Congruæ 22. Jun. 1665. coram Ottalora, §. Neque revelat., in fine, et par. 2, recent. dec. 763, num. 1, et par. 18, tom. 1, dec. 389. (29. Episcopi loco Congruæ, si indigeant, solent exigere Charitativum subsidium. Episcopi tamen, qui habeant Congruam pinguem, quæ excedat taxam a Concilio præscriptam, non exigunt Charitativum subsidium; S. Congreg. Concil. in Gerunden. 17. Febr. 1663. et Sac. Cong. Episc. in Poliecastren. 19. Aprilis 1697.

(30. Episcopus adjutus debet præstare Congruam Episcopo Coadjutori, seu suffraganeo; Coadjutor enim debet recipere congruam portionem de proventibus Ecclesiæ, seu Beneficii, cuius Prælati datus est; arg. cap. de Rectorib. 3. de Cleric. ægrot. ibi: « De facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam, Congruam recipiat portionem; » cap. Pastoralis unic. de Clerico ægrotant. in 6. §. Præsenti, ibi: « Præsenti quoque adjicimus sanctioni, ut Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos. » (31. Et de facto Episcopo Amiciensi Coadjutori Archiepiscopi Alborensis in Sardinia fuerunt assignata mille scuta annua moneta Romanæ absque incertis, quæ cedere deberent Archiepiscopo; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in Orestana 18. Novembris 1639. Et die 11. Junii 1568. (32. Apud Sanctum Petrum in Consistorio Sanctitas Sua decrevit omnes pensiones assignatas Suffraganeis super fructibus Ecclesiarum, quibus præficiuntur, transire ad Successores, dummodo illis Ecclesiis, quarum sunt suffraganei, deser-viant, vel saltem per ipsos non stet, quin inserviant, alias censeantur extinctæ; Suffraganei vero deinceps dari non possint Archiepiscopis, et Episcopis, etiam quibus solent concedi, nisi pro eorum sustentatione assignetur super fructibus Ecclesiarum, quibus suffragari debent, tercenti, vel saltem ducenti aurei de Camera. (33. Si Coadjutor, vel suffraganeus Episcopi est pauper, non potest Congruam sibi in Literis Apostolicis assignatam remittere; S. C. Conc. 26. Jun. 1621. (34. Præterea debet Episcopus adjutus dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in Palatio Episcopali, et om-

nia necessaria pro exercitio Pontificalium, et aliis Episcopalibus functionibus; Sac. Congregat. Episcop. in Nicoteren. 27. Junii 1619.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. Utri, Pensionario ne an Episcopo, incumbat onus probandi, quod Episcopo remaneant scuta mille pro Congrua, non incongrue hic quæritur. (36. Invaluit distinctio, quod si pensionarius agit in judicio possessorio, Episcopo onus incumbit probandi, quod ipsi non remaneant scuta mille pro Congrua, quum possessio relevet ab onere probandi, nec qui est in possessione tenetur exprimere causam suæ possessionis. (37. Quod si Episcopus agit contra Pensionarium in petitorio judicio, dicens se non teneri ad pensionem, eo quia reservatio nullitate laborat, onus probandi, quod mille pro Congrua remaneant Episcopo, incumbit Pensionario, quia cum agatur de jure percipiendi pensionem, causa exprimi debet ab eo, qui ipsam sibi deberi asserit. Confer Barbosam de Offic. et Potest. Episc. alleg. 120, n. 14. Rotam in magistrali dec. 169. per tot. cor. Montic.

ARTICULUS II.

Quod ea, quæ concernunt congruam parochorum, eorumque vicariorum.

(1. Congrua debetur Parochis, seu Curatis nedum de jure communi, cap. de Monachis 12. cap. Cum secundum Apostolum 16. cap. Extirpanda 30. de præbend. c. 1. eod. in 6. cum concordant., sed etiam ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. de reformat. et Constit. S. Pii V. incip. Ad exequendum; Rota part. 3, recent. dec. 392, num. 2, part. 16, dec. 316, num. 4. (2. Et hæc Congrua Parochialis, et Curatis debita, generaliter loquendo, taxatur in scutis centum non solum ab ipso Concilio Trident. sess. 24. cap. 13. de reform., sed etiam a S. Pio V. in dicta Constitut. incip. Ad exequendum; Rota part. 18, tom. 1, recent. dec. 374, num. 2, et part. 19, tom. 2, dec. 112, num. 4. (3. Et ubi aliter non fuerit a Papa expressum, intelligitur de moneta loci Beneficii; Rota part. 17, dec. 245, num. 29, et 30. (4. Congrua non debet ordinari taxari major dietis scutis centum, nec minor scutis 50. annuis; S. Pius V. in dict. Constitut. incip. Ad exequendum; Rota par. 6, dec. 230, num. 2, et par. 8, dec. 246, n. 10. (5. In hac tamen materia non potest assignari certa regula, sed hujus taxatio remittitur arbitrio Judicis; Rota par. 13, recent. dec. 392, num. 12, part. 18, tom. 1, dec. 389, num. 21, part. 19, tom. 1, dec. 1, num. 5, dec. 112, num. 6, dec. 206, num. 13. (6. Quandoque enim fuit taxata in scutis centum auri, et quandoque etiam plus; Rota part. 19, tom. 1, dec. 1, num. 8, et dec. 112, num. 7. (7. Unde generaliter loquendo taxanda est Congrua, quæ sit sufficiens ad commodam et honestam sustentationem personæ, habita ratione de loco, fructuum quantitate, et onerum, qualitate personæ, et similibus; Rota part. 4, tom. 1, dec. 595.

num. 1. part. 6. dec. 220. num. 11. part. 8. dec. 246. num. 11. part. 14. dec. 439. num. 7. part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 4. dec. 206. num. 13. dec. 281. num. 1. (8. In Congrua taxanda debet haberi etiam ratio de numero excessivo animarum, ad quarum curam sit necesse Coadjutores etiam habere; Rota part. 1. recent. dec. 420. num. 9. et 10. part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 4. (9. Sic etiam de Constitutionibus Synodalibus Provinciarum; Rota part. 14. dec. 439. num. 8. (10. Et potissimum de consuetudine regionis, cui plurimum est deferendum; Rota part. 4. tom. 1. dec. 595. n. 6. part. 18. tom. 1. d. 351. num. 4.

(11. Licet in taxatione, et assignatione Congruæ pro Parochis, et Curatis possint ab Episcopo considerari, et comprehendi emolumenta incerta, ut habetur in d. Constitutione S. Pii V. incip. *Ad exequendum*, hoc tamen debet intelligi de incertis, quæ habent aliquam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, alique fructus, et emolumenta incerta solum ratione summæ, et quantitatis; ipsa enim omnia comprehenduntur in Congrua taxanda; Rota part. 6. rec. dec. 230. num. 3. part. 13. dec. 392. n. 8. part. 19. tom. 1. num. 11. (12. Non autem debet intelligi de emolumentis omnino incertis, ut sunt redditus, seu fructus consistentes in funeralibus, oblationibus nuptialibus, elemosynis Altaris, et similibus, qui redditus cum sint de omnino incertis, non sunt imputandi in Congruam; Rota part. 1. dec. 420. num. 2. part. 6. dec. 230. n. 4. part. 11. dec. 347. n. 8. part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 9. cum seq. (13. Nisi de consuetudine loci aliter introductum doceatur; Rota part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 10. (14. Congrua enim debetur loco alimentorum; Rota part. 6. dec. 230. num. 5. part. 18. tom. 1. dec. 351. num. 5. dec. 389. num. 1. dec. 400. num. 8. (15. Unde repugnat ipsam Congruam dependere ab incerto eventu, cum venter non patitur dilationem; Rota part. 1. dec. 420. num. 2. part. 6. dec. 230. n. 7. part. 17. dec. 41. n. 41. part. 18. t. 1. dec. 130. n. 9. et t. 2. ejusdem partis dec. 411. num. 7. (16. Nec in Congruam sunt imputanda, quæ debetur Parocho ratione laboris, et servitii; Rota part. 13. dec. 347. n. 8. (17. Nec quæ extra Ecclesiam vel extra Curam ipsam animarum percipiuntur, quia ista non sunt fructus Beneficii; sed merces, et præmium laboris tantum inservienti debita; Rota part. 13. dec. 347. n. 9. (18. Neque sunt imputandi in Congruam Parochi fructus sui Patrimonii, si reservationi pensionis non consensit, cum nemo cogatur propriis stipendiis militare, ex prima ad Corinth. cap. 9. et dignus sit operarius mercede sua; cap. *Quicumque* 66. de præbend. Rota part. 18. tom. 1. dec. 23. num. 4. et dec. 389. n. 3. (19. Secus vero si in reservatione pensionis sua bona obligationi, et hypothecæ supposuit, quæ operatur ut sint imputandi in Congruam singuli redditus patrimoniales; Rota part. 18. tom. 1. dec. 389. n. 2. cum seq.

(20. Congrua debetur Parocho, etiamsi Be-

neficium tenuerit acceptaverit non sufficiens pro sustentatione necessaria; Rota, par. 1. dec. 420, num. 4, et par. 6 dec. 230. num. 6. (21. Quidquid dicant alii in hoc casu, Parochum non esse audiendum, cum sibi imputare debeat, si acceptavit Beneficium nimis tenue; Rota, part. 2. recent. dec. 7, n. 3. et dec. 239, n. 1. (22. Quia non militat talis ratio, ubi certe apparet insufficientis, cum agatur de præjudicio Ordinis Clericalis, et Ecclesiæ; Rota par. 3 dec. 437, n. 3. par. 6. dec. 230, n. 7, et seq. par. 13. dec. 347, n. 11, par. 19, tom. 1. dec. 1, n. 14. (23. Non enim potest oriri ipsi Parocho aliquod præjudicium ab hujusmodi acceptatione, quia non habet privilegium ad sui favorem tantum concessum, sed illud toti Ordini, et dignitati Clericali fuit impertitum, ne Rectores animarum in opprobrium dignitatis mendicent, aut curam commissi sibi gregis deserant, ut declarando dixit Rota, par. 1, dec. 420, n. 4, et par. 2, recent. dec. 449, n. 5, et par. 18, tom. 1, dec. 23, num. 13. (24. Congrua enim taliter sufficiens debetur Parocho, ut ea commode sustentari possit; Rota, part. 13, dec. 347, n. 2 et 6. (25. Et Congrua ab Episcopo assignata præsumitur sufficiens, nisi probetur diminuta; Rota part. 9, tom. 1, dec. 222, n. 15, et part. 13, dec. 347, n. 4. (26. Præsertim si illa fuerit sufficiens pro aliis Rectoribus antecessoribus, qui per longissimum tempus ea contenti fuerunt; Rota par. 13, dec. 48, n. 11, cum seq., et part. 18, tom. 1. dec. 218, num. 10. (27. Unde Congrua semel assignata, non debet amplius assignari, vel augeri; Rota part. 2, dec. 329, n. 1, et part. 13, dec. 48, n. 2. (28. Sicuti non potest amplius diminui; Rota part. 18, tom. 1, dec. 81, n. 50. (29. Cum semel constituta Congrua non possit regulariter immutari nisi ex causa; Rota part. 18, tom. 1. dec. 218, num. 6 et 7. (30. Hinc Parochus petens Congruæ augmentum debet probare assignatam non esse sufficientem, et consequenter debet probare paupertatem superventam; Rota part. 4, tom. 1. dec. 595, n. 1. part. 18, tom. 1. dec. 218, num. 11 et 24. (31. In tali casu Parochus non potest nisi ad supplementum agere, et Episcopus debet prius arbitrari circa redditus Ecclesiæ, si sufficientes, et postea in subsidium cogere populum, vel alio modo providere; Rota part. 4, tom. 1. dec. 595, n. 1, cum seq. Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Interamnen. 27 Martii 1601, et 18 Junii 1602, et 18 Martii 1603. (32. Si Congrua fuerit sufficiens tempore reservationis pensionis, quoties ea post diminuatur, augenda est de fructibus ipsius pensionis; Rota par. 17. dec. 120, n. 26. (33. Parochi enim pro consequendo Congruæ credito, præferendi sunt, deductis prius impensis culturæ, Pensionariis; Rota part. 18, tom. 1. dec. 389. num. 17.

(34. Vicariis perpetuis debet assignari Congrua portio de redditibus, fructibus, emolumentis, et proventibus Ecclesiæ incorporatæ Monasterio, Collegio, Capitulo, Universitati, et hujusmodi; cap. de Monachis, 12. cap. *Extirpanda*, 30. de præbend. et cap. 1, eod.

in 6. Concil. Trident., sess. 7, cap. 5 et cap. 7. de reformat. S. Pius V. in Constitut. incip. *Ad exequendum*. (35. Talis Congrua est taxanda et assignanda arbitrio Episcopi habito respectu ad qualitatem personæ, et loci, et temporis et ad abundantiam, seu paupertatem fructuum, et reddituum Ecclesiæ, dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno, ex cit. Constitut. S. Pii V. incip. *Ad exequendum* ubi, § 2. Episcopus expresse præcipit in assignatione portionis Vicariis perpetuis ita se continere, et arbitrari, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum aureorum summa, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignentur; et sic etiam Sacra Congregatio Concil. in Asten. 28 Octobr. 1585, et Rota part. 6, recent. dec. 230, num. 2. (36. Ubi sub num. 3, et sequ. subjungit quod pro emolumentis incertis sunt intelligenda solum ea, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, alique fructus, emolumenta, et obventiones, quæ penes Vicarium sunt solum incertæ respectu summæ, et quantitatis, quam ex illis percipere possit. Non autem sunt intelligenda emolumenta omnino incerta, ut sunt elemosynæ Altaris, funeralium, et similia, quia ista non computantur in Congruam, quia venter non debet pendere ab incerto, cum venter non patiat dilatationem. Vide supra a n. 11, usque ad n. 17. (37. Et sic etiam censuit Sacra Congregatio Concil. in Isernien. 20 April. 1697, ubi proposito dubio: « An in Congrua Canonici Curati imputari debeant distributiones quotidianæ, quæ dantur ratione servitii personalis, et interessentiæ Choro, nec non cætera emolumenta Parochialia expressa in sententia Episcopi? » Sacra Congregatio respondit, *Affirmative quoad distributiones; et quoad expressa in sententia Episcopi, Negative*. In sententia autem Episcopi expressum sic erat: « Computatis tamen in eadem Congrua fructibus Præbendæ, omnibus etiam incertis et aliis obventionibus percipi solitis. »

(38. Congruam certam debet habere Curatus, seu Vicarius substitutus ad formam dict. Constitut. S. Pii V, incip. *Ad exequendum*, quamvis sit amovibilis, ut declaravit Sacra Congregatio. Visitationis Apostolicæ in Fanen. 25 Novem. 1693. (39. Congrua semel sufficienter assignata Curato, seu Vicario, nisi superveniat notabilis mutatio, et intersit nova rationabilis causa, non est locus assignationi novæ Congruæ, seu augmento, Rota par. 18, tom. 1. dec. 218, num. 6 et 7. et Sacra Congregatio Episcop. et Regular. in una Cusentina Congruæ 31. Jul. 1693. (40. Neque potest minui quamvis Curatus electus, et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire, quia hujusmodi pactio sapit Simoniam; Sacra enim Congregatio super statu Regularium sub die 8 Octobris 1670. expresse declaravit, quod superioribus Regularibus minime fas sit cum ipsis Vicariis jam deputatis seu deinceps deputandis publicas, aut secretas pactiones,

seu conventiones inire super diminutione, aut alteratione, seu variatione dictæ Congruæ, easque pactiones, seu Conventiones, tamquam de simoniaca labe, atque avaritia suspectas Sac. Congreg. omnino rejicit, atque interdicat, eosque, qui contrafecerint, pœnis adversus Simoniacos editis teneri decrevit, quibuscumque non obstantibus; sic refert Pignatell. tom. 3. consult. 31, n. 1, in fine. (41. Et hujusmodi pactio fuit iterum damnata a Sacra Congreg. Concil. in una Burgi S. Sepulchri, Congruæ, 5 septemb. 1699, in qua contra Monachos Camaldulenses fuit additum. (42. « Et Monachi se justificent super asserta Simonia coram Sacra Congregat. » Congrua autem Curato, seu Vicario non taxata, vel insufficienter assignata, si petatur, debetur in quantitate, prout juris est a die petitionis, seu motæ litis, ut respondit Sacra Congregatio Episc. in Civitatis Plebis, 17 Septembris 1695. et Sacra Congr. Conc. in Isernien. 20 Apr. 1697. in responsione ad tertium.

(43. Alia vide verb. *Vicarius Parochialis* a num. 10. ad 14.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. De eo sæpe disputari solet, an Parochus, qui vel interitum vel diminutionem passus est reddituum Parochialium, agere vel pro Congrua, vel pro ejus supplemento valeat adversus illos, qui decimas, vel alia bona Parochiæ possident? Affirmant, ex text. in cap. de Monachis, de Præbend. Wames. consil. canon. 172. n. 13. Gratian. discept. forens. cap. 366. n. 2. et seq. Loter. de re Benefic. lib. 2, quæst. 12, num. 27 et seq. Rota in Leodien. Congruæ 27 Januarii 1716, § 2. cor. bon. mem. Cerr. et in Toletana Decimarum de Capilla super Congrua 9 Decemb. 1720, § *Quo vero*, coram bon. mem. Foscar. et in Thelesina Congruæ, 18 Junii 1731. § *Et in his*, cor. Eminentiss. Rezzonico.

(45. Idque adeo verum est, ut nec centenaria; nec immemorabilis a Decimatoribus allegari valeat contra Parochum, qui ex immutato rerum statu deficientem sibi Congruam assignari petit ex decimis, vel aliis Parochiæ bonis, ut prosequitur Rot. in d. Toletana Decimarum de Capilla super Congrua, 9 Dec. 1740. § *Quoad Immemorabilem*; cor. bon. mem. Foscaro.

(46. Alia autem hic oritur quæstio, utrum plures possessores decimarum vel aliorum Parochiæ teneantur in solidum, an singuli pro rata Laicos haud posse conveniri, si sint Ecclesiastici qui pariter possideant decimas, vel alia Parochiæ bona, videtur firmare Rot. in Moguntina Reparationis Chori, 29 Aprilis 1784, § 8. et seq. cor. bon. mem. de Vais, et 4 Julii 1749, § 8, cor. Illustriss. Clemente. (47. In quibus decisionibus licet agatur de onere reparationis Ecclesiæ; idem tamen obtinere debet quoad onus Congruæ.

(48. Ecclesiasticos vero posse in solidum conveniri, salvo tamen ei, qui convenitur, jure agendi contra cæteros, tenet Porray de Congrua portione lib. 1, c. 16, num. 19. (49. Nec ab hac negativa opinione alienum videtur Tribunal Rotæ in d. Moguntina Repa-